



00 Kr

Y947  
Qu

4

D. O. M. A.  
DISPV TATIO MEDICA  
*DE*  
**SCORBUTO,**

*QVAM*  
*CONSENSV AMPLISSIMAE FACVL-*  
*TATIS MEDICAE*

PRAESIDE

*Viro Clarissimo, Excellentissimo atque*  
*Experientissimo*

**DN. HERMANNO CONRINGIO**

Philosoph. ac Med. Doctore, hujusque in inclyta  
Iulia Professore Publ. celeberrimo, & p. t. Faculta-  
tis Med. Decano spectatissimo, Domino Præceptore

ac Promotore suo æstatèm honorando

*PRO SVM MIS IN ARTE MEDICA HONORIBVS*  
*AC PRIVILEGIIS DOCTORIBVS*

*imperrandis*

Publico examini subjicit

**LEONHARDVS Krüger LUNEBURGENSIS**  
Medicinæ in Patria Practicus.

*Ad d. 10. Novembr. 1638.*

• 6 (0) 90 •

*HELMESTADI,*  
**Typis HENNINGI MÜLLERI, Acad. Typ.**

C I D I C L X X I .

ALMANACH DER  
CITY OF MEDIC

# SCORPIO

MAN

ANNUAL ALMANAC FOR  
THE CITY OF MEDIC

BY J. R. STIDBE

FOR THE USE OF THE  
CITY OF MEDIC.

LITTLE FRENCH AND GERMAN

IN ENGLISH. NEW YORK: J. D. COOPER, PUBLISHER TO THE CITY

OF MEDIC. 1830. 25 CENTS.

THE LARGEST SELECTION OF BOOKS ON MEDIC.



**N**ter morbos illos, quibus  
cum Germaniæ imprimis  
inferioris incolæ miseran-  
dum in modum hodiè  
conflictantur, scorbutum  
esse frequentissimum, ne-  
mo est, quin probè norit. Tām enim passim  
nunc ille apud eosdem grastatur, ut non multi  
reperiantur ab labe illius prorsus immunes.  
Quamobrem medicinam apud hos homines  
facturum oportebit, sedulò in illius morbi in-  
quirere naturam, ut illâ cognitâ medicamen-  
ta sciat idonea in ægrotantium salutem appli-  
care. Estq; hoc illud, quod me considerantem  
movit, Scorbuti historiam breviter depingere  
placidæque subjicere *et cetera.*

**THESES PRIMA.**

**S**O A B V L V M Scorbutus notum satis est,  
originemque debet voci accolis maris ver-  
sus septentrionem communi Schörbeck /  
quâ oris & gingivarum vitium, vel Schar-  
bus / qua cruciatus ventris, malum scorbuticum fre-  
quen-

quenter comitantes, indigitantur. Græcè σωματικὴ & οὐελοτύχεια morbis & symptomatibus, qui maximè os & crura in hoc morbo afflidunt, non inconcinnè dicitur. Nonnulli alia ei indiderunt nomina.

II. Novus planè & veteribus incognitus morbus non est, uti nonnulli volunt; etsi olim non sit eodem nomine ab ijs descriptus. Marcello dicitur Oscedo, Plinius sub Stomacaces & scelotyrbes nomine eum delineavit. Hippocratem sub magnis lienibus & volvulo sanguineo illum depinxisse statuit cum alijs Medicis doctissimis Sennertus.

III. Etsi autem alibi rarior alibi frequentior sit, est tamen omnino Endemius & vernaculaus accolis regionum septentrionalium, adjacentium mari Baltico & Oceano Germanico, Norvegiis, Danis, Suecis, Belgis iisque finitimis. Illius etiam seminaria non in Saxoniam solum & Pomeraniam, verum etiam in alias regiones longè latèq; sparsa sunt, adeò ut in urbe Norimberga non desint exempla tumulatorum, quos scorbutica lues confecerit. Quid? quod, Clariss. Dominus Præses, nullam esse terram credat, quæ non suum aliquem Scorbaticum habeat *Diss. de Scorb. th. 52.* Imò & Epidemium fuisse scorbutum aliquando, hoc est, plurimos in eadem regione simul invasisse, observatum est.

IV. Definiri potest, quod ut prava quædam viscerum aliarumque partium humani corporis primæ regionis, eorumque vel omnium, vel non nullorum dispositio à colluvie vitiosorum humorum imprimis serosorum & falsorum inque ijs & vicinis locis collectorum, ortum trahens, vatiis morbis & symptomatibus totum corpus, præcipue vero gingivas erosione

rosisone sanguinolentā, os graveolentiā, crura & brachia præter debilitatem maculis & ulcusculis varijs infestans, & per contagium se propagare potens.

V. Dispositio illa viscerum prava, quæ vicem generis obtinet symptomatibus se suis manifestò prodit. Ad hoc eam ex vitiosâ lieet reprehendere coctione. Vnde scorbutici cachectici sunt, quia nullius frigi nutrientum corpori suppeditatur, falsusque humor, qui in Scorbutico malo generando utramque paginam facit, cumulatur.

VI. Subjectum huic morbo assignare haut facile est. De eo nonnulli curiosiūs quām par est, disquirunt, animadvententes, nullam ferè in toto corpore esse partem quæ hujus mali causam continere nequeat. Evidēt hīc distinguo inter subjectum primarium & secundarium.

VII. Primarium statuo partem illam, in qua colluvies succorum serosorum stabulans, eam quæ huic malo est generando dispositionem sortitur. Est illa frequentissimè mesenterium, & venæ portæ rami, frequenter lien & epar, nec non pancreas, cavitasque omenti marsupium dicta. Quorum quod præcipue affectum est, ob vicinitatem facilis negotio in consensum trahere alia membra potest.

VIII. Secundarium est totum venosum carnosumque genus, eò quod in universam corporis œconomiam hic humor, maximè verò si superiora petat, ad os & brachia, si ad inferiora descendat, ad crura diffunditur. Temporis enim diuturnitate incrementa sumens in illum tandem augetur modum, ut prædictis in locis se contineri non patiatur, interdum ad hepar delatus, ejus operationes vitiat, sanguinemque

*μιδοφαλ* scorbutico contaminat. Qui hoc modo ine-  
ptus factus, corpori nec apponi, nec assimilari, nec à  
natura illius onere gravata expelli potest, sed extra ve-  
nas in habitum corporis externum magnam partem  
prorumpens, corporis lassitudinem inducit, dolores  
excitat, cutem maculis & lituris varijs pingit, & sexcen-  
ta homini creat mala.

IX. Causa continens & proxima est colluvies hu-  
morum vitiosorum, imprimis serosorum salsorum  
pravam illam dispositionem, unde hic moribus gene-  
rari possit adeptorum. Deficiente vero hac, antece-  
denter causa fungitur vice.

X. Generantur humores illi quam sapissime  
vitiata Lienis *αιματωδη*. Non enim lien habendus est  
futilis visceris loco, sed suā δυνάμει *αιματησινη* pollet,  
quamobrem & Aristotelī *νόσον παρ* dictus est. Et licet  
succos feculentiores accipiat, adeoque epar magno  
sublevet opere, quod defecatum splenis beneficio hu-  
morem solū coquit; laudabilem tamen elaborat  
pro nutritione insimi ventris sanguinem. Hæc igitur  
lienis sanguificatio quando irrectæ & indecentier  
perficitur humores multis scatentes salsis & tartareis  
partibus ad epar rapiuntur, unde postea loco sangu-  
inis utilis, excrementitious & nullius frigi confit,  
succorumque vitiosorum primis in viis coacer-  
vatur copia, quæ demum malum scorbuticum pro-  
creat.

XI. Contingit autem læsa lienis sanguificatio  
vel ipsius vitio lienis vel humoris coquendi. Veri-  
mille enim est coctionem ventriculi *πλευρατωδη* quasi  
perfici, quâ crassæ alimenti assumpti partes, tenuiores  
& subtiliores, &c., ut cum chymicis loquar, volatiles  
reddun-

redduntur; illa si pravi ratione vixtus sit minus; patres crudæ legitimè sequestrari nequeunt, quæ ad lie-nem delatæ, nec ibi satis secernuntur, siquidem co-tionis primæ vitium in secundâ non corrigitur; hinc minus ac fieri debebat humor purificatus ad epar pro-vestus, nec ibi satis subigi potest, sed inconcocta ejus partes in primis viis subsistentes, indies magis magis-que cumulantur, & viscera adjacentia corrumpunt; ut ita facilè reciprocam mali scorbutici generationem hinc cuivis videre sit obvium.

XII. Supersunt porrò & alia remotiores causæ antecedentes, quæ ad tres classes non incommodè re-digi possunt; ita ut sit una rei naturalis, altera sex rerum non naturalium dictarum, ultima rerum præter naturam.

XIII. Naturalem voco ipsum Temperamentum totius non bene constitutum, præcipue verò epatis & lienis calidum & siccum, ventriculi contrâ humi-dum & frigidum, Quando enim epar & lien ita sunt temperie, venæ illæ quæ ex utroque ad intesti-na eunt, abducunt semicrudum adhuc ex ijs chylum, qui ob partes tartareas in primâ coctione non fa-tis discretas ibi non decenter coquitur, unde vi-tiosi humores in primis subsistunt vijs, obstructio-nesque ibi largi morborum proventus genetrices, pariunt.

XIV. Res non naturales quæ ad hunc affe-ctum corpus disponere nisi legitimè administrentur, possunt, numero sex sunt; in quarum censu primas tenet Aër, ille si sit uliginosus, crassus, frigidis vaporibus aut alijs putridis exhalationibus inquinatus, ad scor-

scorbutum inducendum multum facit. Talis est Austrinus corpora nostra humectans & ad motum segnia reddens, qui respiratione attractus, porosque nostri subiens corporis, sanguinem & spiritus inficit, caloremque nativum obruit, & ita cruditatum generationem promovet. Talis etiam ille est, qui in locis uliginosis, lacustribus, paludiosis, spirat, quorum accolae scorbuto frequentissime infestantur.

XV. Excitatur quoque & foveatur hic morbus a pravis murorum exhalationibus, ut sunt domiciliorum humectorum cellarum & locorum subterraneorum, quos in civitatibus maritimis & septentrionalibus multi de plebecula inhabitant, ut & carcerum nebricosorum & muris cinctorum. Nec mutationes aeris, quae Veris aut Autumni tempore accidunt, hic silentij tegendae involucro. Nam quae Vere fit, quia humores tempore hyberno collectos fundit & agitat, & ita in causa est, ut humores non quiescere possint, sed modò hic modò ille præpollet & seorsim existat, quo molestia homines afficiuntur, docente sic Hippocrate lib. de prisc. medic. cunas huic morbo parare dissimile vero non est: quae autem Autumno fit, cum coeli constitutio indies fiat inæqualior & frigidior, seroso humoris generando est aptissima.

XVI. Deinde alimenta ad hujus morbi productionem plurimum possunt; cibus quidem, si non sit boni succi, sed putridus, sale immodecum maceratus sumoque induratus; ut sunt caro bubula, hircina, caprina, suilla, maceratae sale vel aceto, lardum rancidum, panis bis coctus: furfuraceus, mucidus, à frumentis semiputridis, cœloque pluvioso collectis pistus; Pisces lacu-

lacustrēs, & muri à salsa conditi vel in aëre uliginoso exsiccati; quales sunt haleces, aselli, passeres, capirones, salpæ & id genus alij: Aves in aquis stagnantibus degentes, ova item in sartagine fricta, brassica capitata ex acida muria comesta, lentes, fabæ, cæpe, caseus antiquus, & omnia, quæ humorem serosum ac salsum generare apta nata sunt; quales cibi hominibus in regionibus maritimis & septentrionalibus sunt familiariissimi.

XVII. Potus ad hoc disponens malum est vi-  
num crassum, aridum, non probè defecatum, aquæ corruptæ & verminosæ, subsalsæ, quoquaque modo intra corpus sumptæ, cerevisia ex aquis modò indig-  
tatis costa, paucō lupulo condita fermentatione non  
bene à partibus excrementijs ad fundum vasis illis  
præcipitatis, purificata.

XIX. Tertio loco in rerum non naturalium tribu locantur Somnus & Vigiliz: Ille quidem si sit immoderatus, crudos in corpore nostro humores cu-  
mulat: hæ autem si modum excedant humidum ra-  
dicale depauperant, cruditates gignunt, spiritusque co-  
ctionis instrumenta dissipant.

XIX. Quartò. Otium & vitæ genus deses at-  
que iners calorem nativum imminuit, imminutus calor coctionem alimentorum & debitam ab iis ex-  
crementorum sequestrationem non restè admini-  
strat & perficit. Vnde foeminæ magis huic morbo obnoxiz sunt, quam viri, & inter hos ji magis; qui sedentariam vitam agunt, quam qui opus suum faci-  
endo plus se commovent, ut fabriagricolæ, &c. Ne-  
que tamen probandæ hic exercitationes validæ & im-  
modicæ,

B

modicæ, quæque coctione nondum absolutâ suscipiuntur. Nam & semicrudum in habitum corporis chylum rapere, & quiescentes humores vitiosos fundere possunt.

XX. Quinto loco sunt excreta & retenta, illa si inconvenienter se habeant, ad hujus morbi generationem symbolam suam conferunt, puta si menses, haemorrhoides & alij consuetæ evacuationes sint suppressæ, quæ calidum nativum obruunt, & vitiosorum humorum proventum adaugent.

XXI. Denique sunt Affectus animi, ira præcipue & tristitia immodica, quæ coctiones in corpore humano turbant, calore aliò avocato, vitiososque humores commovent, bonisque succis permiscent, atque ita faciunt, quò minus laudabile corpori nutrimentum præstetur.

XXII. Ultimam classem causarum remotarum posui rerum præter naturam; in hac collocanda veniunt, contagium & morbi alij scorbutum producentes.

XXIII. Contagium quidem hunc morbum producere posse insigni cum valetudinis jacturâ experuntur illi, qui crebriùs cum Scorbucis conversantur. Quod si quis parentes habuerit scorbuticos, aut lacte materno scorbuticâ lue infecto enutritus fuerit, fieri vix potest quin aliquando somitem scorbuticum sibi implantatum persentiscat.

XXIV. Morbi ad scorbuti generationem facientes sunt interdum febres; & præcipue quartana, non nunquam tertiana diurna, ut & icterus niger in scorbutum degenerant.

XXV. Pro-

**XV.** Proximum jam est ut ad differentias  
hujus morbi nos convertamus. Desumi autem illæ  
posunt vel à forma , cuius respectu aliis est vehe-  
mentior, aliis mitior , idque pro ratione majoris vel  
minoris humorum pravitatis : vel à subjecto . hoc mo-  
do aliis est universalis , quando scorbuticæ luis signa  
in universo corpore deprehenduntur , aliis parti-  
cularis , cùm quædam saltim corporis partes scorbu-  
ti signa ferunt : vel à causis , ita aliis est hæreditarius , a-  
lius acquisitus , aliis à causis internis , aliis à conta-  
gio generatus , aliis endemius , aliis sporadicus , non  
nunquam epidemius : vel à tempore , hujus ratione , a-  
lius est incipiens , confirmatus aliis & quasi familia-  
ris factus . Vel à concomitantibus morbis & sympto-  
matibus , sicut alius ijs paucis , aliis ijs multis est stip-  
tus.

**XVI.** Scopulis hisce superatis in hoc alto  
quæ constituti ad contemplanda mali hujus scorbu-  
tici signa & diagnostica & prognostica rectâ prove-  
himur. Illa quod attinet , distinguendum erit inter  
signa scorbuti incipientis , & augescentis seu ingrave-  
scentis.

**XVII.** Incipientis sunt lassitudo spontanea ,  
quæ alias morbos prænunciare solet juxta Hippocr.  
*aphor. s. lib. 2.* Corporis gravitas , ob humores vi-  
tiosos ex internis scaturiginibus ad musculos & cu-  
tem restagnantes : pectoris angustia ob ejusdem  
farinæ humores diaphragma comprimentes : hinc  
etiam difficultas respiratio , quæ sæpè non attenditur  
nisi à laborantibus & validiùs se moventibus : facies  
ex pallore nigricans est , ob efflorescentiam vitioso-  
rum

rum humorum: homo in speciem sit pinguior & copulentior, qui tamen revera à copia peccantium humorum turget. Quæ omnia suspicionem de morbo hoc præsente augent si eam victus rationem præcessisse constet, quæ apta est huic malo avo excludendo, sique æger parentes habuerit scorbuticos, aut in tali degat regione, cui scorbutus est familiaris.

XXIX. Augmentum sumentis seu ingraevscentis symptomata & morbi modò enumerati veherentius affligunt, imò plura his sese associant, adeò ut observatis ijs, delitescere amplius vix possit. Imprimis gingivarum laxitas, corruptio, gravecoalentia, & ad contactum ex ijs serosi sanguinis fluxus adest: caro à dentium vacillantium radicibus abscedit: maculae variae, non solùm in cruribus summè debilitatis, sed & dorso & brachijs apparent lividae, purpureae, nonnunquam nigricantes, modò cum modò sine squamis, quæ aliquando in tumorem attolluntur, aliquando exulcerantur, difficulter verò cicatrice clauduntur: dolor & tortina ventris vexant, anhelitus difficultas agros erectos sàpè ita affigit, ut nisi statim decumbant, animi deliquium eos corripiat; Urina variat, frequenter ramen humorum peccantium copiam prodit, nec alvus interdum laxa interdum adstricta nimis officio rite suo fungitur.

XXIX. Atque hæc sunt, quæ nos in cognitionem hujus morbi perducere possunt, quæ tamen frequentissimè variant, ita ut hæc eodem modo vix in uno reperias, quo in altero; imo & suas vicissitudines hic morbus habet, & per intervalla nunc magis nunc

nunc minus affligit: ut taceant alios morbos, qui  
hunc comitantur innumerabiles; epilepsiam, lethar-  
gum, motus convulsivos, paralysin spasmam, dens-  
tium dolores, icterum, cordis palpitationem, pleu-  
ritidem notham, hydropem, atrophiam, coxenda-  
cis dolores, vomitus & ructus frequentes, scabiem,  
febras lentes, continuas & intermittentes, vulgari-  
bus dissimiles, &c. quos Practici Medici observa-  
runt & memorie prodiderunt, qui de his videan-  
tur.

XXX. Excipiunt nos prognostica. Scorbu-  
tus chronicus morbus est, celeri motu & præcipiti  
periculo homines non statim interimens, aut in vi-  
ta discrimen adducens; sed multum diuque eos sati-  
gate solitus. Humores enim serosi & melancholici  
ubi se penitus insinuarint corpori, contumaces ac  
diuturnos morbos procreant.

XXXI. In principio facilis est curationis, me-  
dicamentisque dextrè adhibitis non difficulter cedit:  
quando scilicet dispositio scorbutica visceribus non  
admodum est impressa, sed maximam partem in humo-  
ribus viget.

XXXII. Ubi altiores egit radices, multâ cu-  
ratione indiget, vixque medicâ manu radicibus se ex-  
tirpari patitur; sed vel singulis annis vel temporum  
mutationibus recurrit.

XXXIII. Ut plurimum in alios morbos de-  
generat, pro ratione motus humorum, suntque illi  
morbi plerumque ægris ad vitæ terminum ultimum  
comites.

XXXIV. Maculae in cruribus & brachijs. imò  
B 3 & aliis

& aliis corporis locis, quō lividae magis & atræ eò pē-  
jores, siue ad exulcerationem eas pervenire contin-  
gar, difficulter cicatrice obducuntur: nonnunquam in  
gangrēnam abeunt; Maculae verò quæ rubor appa-  
rent, moxque disparent, nonnunquam mottem porten-  
dunt instantem.

XXXV. Erosiones gingivarum nisi maturè sa-  
nentur, carnem ad ossa usque absument, imò cum i-  
pso osse abscessum communicant, *Hippocr. aphor. 44.*  
*sect. 6.* quibus si purredo & livor oris superioris &  
faucium jungantur, lethalem plerūque morbum nun-  
ciant.

XXXII. Quibus termina ventris & circa um-  
bilicum contorsiones continuò adsunt, ratò evadunt.  
Dolorem enim acutum in ijs afflgentem locis diu su-  
stineat ægri non possunt, causamque illorum termini-  
num hærentem in intestinis tenuibus medicamenta  
difficulter amovere queunt, unde illis hydrops tym-  
panites nonnunquam accidit, *Vid. aphor. Hippocr. 11.*  
*sect. 4.*

XXXVII. Scorbatus sub schemate febris la-  
tens, si juxta indicationes à febre simplici suppeditatas  
solum curetur, exacerbatur.

XXXIX. Lienosis atque ita etiam scorbuticis  
superveniens dysenteria diuturna, aut hæmorrhoidum  
apertio, confert, *Hippocr. aphor. 48. sect. 6.* & *aphor. 11.*  
*eiusd. sect.*

XXXIX. Detecta hoc modo & ex causis & si-  
gnis nota lues scorbutica qua ratione si non planè  
profligari, domari tamen possit jam docendum;  
quod faciemus visis antè indicationibus, quibus o-  
mnis

mnis methodica curatio absolvitur, juxta Galen. lib. II.  
m. m. cap. 13.

XL. Sunt illa tres. Curatoria, Præservatoria  
& Vitalis. Curatoria præsentis morbi & causæ con-  
tinentis eradicationem imperat. Præservatoria ante-  
cedentium causarum remotionem monet. Vitalis ro-  
bore facultatis studendum viresque in statu salubri  
conservandas esse docet.

XLI. Quod si, uti sæpè fit, symptoma aliquod  
vehementius superveniat, non erit integrum hac via  
ingredi, sed ex accidenti curandi ratio immutanda e-  
rit, docente sic Galen. lib. 12. m. m. cap. 1. Ideò si in hoc  
affectu, syncope, epilepsia, hæmorrhagia immodica na-  
tum, aut aliud quoddam grave symptoma vitæ ipsi  
perniciem subitanciam minitetur, illi statim occuren-  
dum.

XLII. Hisce scopis satisfacturi ad triplex Me-  
dicorum progrediemur, quasi armarium, Diæteri-  
cum, Chirurgicum & Pharmaceuticum, inde contra  
hunc morbum quasi effrenatam feram tela depromen-  
tes.

XLIII. Ac Diætericum quod concernit, me-  
ritò illud primo ponendum loco. Ultimum enim  
in indicatione, primum est in curatione, & causa re-  
mota priùs admolienda & removenda, ut ad propio-  
res & ipsam immediatam patet aditus. Dixta igitur  
& vixta ratio commoda, ex hoc tanquam telum  
quoddam, quod vel solum sæpe legitimè adhibitum  
morbum hunc edomare potest, petenda. Ipsa si-  
quidem experientia docuit quām plurimos, eos qui  
præcipuum & ferè unicum præsidium hic in tenui &  
bono

bono victu collocaerunt, melius habuisse, immo scorbutum incipientem soli mutationi aeris cessisse.

XLIV. Et quantum momenti situm sit in dixa-  
ta ex eo colligi potest, quod Galenus ipse testetur, vi-  
disse se arthritidas non paucas ita inveteratas, ut articu-  
lorum ossa denudarint, attenuante victus ratione, ali-  
as perfranatas, alias mitiores redditas, de attenuante  
*vict. rat. cap. 1.* ut idem hic fieri posse nulli dubitemus,  
juxta vulgatum illud;

*Abstine, & efficies quod medicina nequit.*

Sequentia igitur observanda.

XLV. Aer causae morbificae est diametro sit  
contrarius. Eligatur itaque purus, lucidus, mode-  
rate calidus, siccus, sique talem constitutio cœli &  
loci neget, paretur arte accenso ligno juniperino,  
quercino, excitato fumo e baccis lauri, juniperi, suc-  
cino, thure, benzoë, trochiscis, & candelis pro fumo  
& aliis. Langius commendat in paralyti scelotyrb-  
iticâ aerem peristerotrophij, lib. 2. epist. 14. fortassis  
quod exhalationes multæ nitroso ex fimo columbino  
assurgant, quæ respiratione attractæ malo scorbutico  
adversantur. Nec tamen ejus sententiam nostram nunc  
facimus.

XLVI. Cibi offerantur εὐπικτοι, ἐυχυλοι καὶ εὐαρά-  
δοι maximè qui etiam sunt incidendi & attenuandi  
vi præditi. Ut caro gallinacea, agnina, hœdinæ, vitu-  
llina & juscula earum, imprimis hic laudatur columbi-  
na caro, nec non avium sylvestrium, ut perdicum,  
turturum, alandatum, turdorum, &c. nec pisces saxa-  
litibus & arenosis in fontibus degentes excluduntur.  
Panis sit bene fermentatus & modice salitus, cum ino,  
anillo,

aniso, fœniculo conditus, non recens, nec vetus nimium. Lac ut & serum lactis imprimis caprinum concedi potest, cui incoquantur herbæ antiscorbuticæ.

**XLVII.** Condiantur autem cibi hi herbis & aromatibus calefacientibus, attenuantibus & incidentibus, thymo, hyssopo, majoranâ, satureiâ, croco, cinamomo, baccis juniperi, macere: irrigentur succo citri, limonum, arantiorum, quæ per se hic magnifica ienda, cum constet, referente Ronfco, nonnullos eorum unâ cum corticibus esu sanitati suis restitutos

**XLIIX.** Embammata cibis apponi possunt confecta ex cochlearia, chelidonio minore, nasturtio aquatico, nummulariâ, sinapi, radic. armoraciæ, capparibus sine sale.

**XLIX.** Potus sit vinum Rhenanum bonum simplex vel medicatum, ut absinthites, enulatum, chamædryos, rosmarini, scosopendriæ, vel hyssopi viribus imprægnatum, aut aquis destillatis antiscorbuticis dilutum; vel cerevisia bene defecata, lupulo satiis condita, herbisque prædictis præparata; nec non acidulæ. Abstemij aquam in qua candens ferrum subinde extincum sit, bibant, licenis obstrunctiones mirum quantum reserantem, commendatam à Celso lib. 4. cap. 9. inquiete, Hac aqua vel imprimis lienem coercet, quod animadversum est, in his animalibus, quæ apud fabros educatas sunt, exiguo lienes habent.

**L.** Exercitia corporis moderata non negligantur, quies enim succos vitiosos auget: Somnus & vigilæ intra modum consistant; consuetæ evacuatio-

C. nes

nes promoteantur, exulent tristitia, mœror, curæ, ira, &c.

LI. Chirurgicum jam se offert, & in eo Venæsectorio, quæ locum habere in principio, in corporibus plethoricis, aut quæ suppressionem solitarum evacuationum patiuntur, aut quæ febris affigit; Instituantur autem, si fieri possit, leni aliquo purgante præmisso, seceturque basilica vel mediana brachij dextri vel sinistri, nisi si hæmorrhoides aut menses sunt suppressæ & sanguis vitiosus ad interiora defluit, tūm enim vena poplitis aut malleoli tundatur.

III. Cueurbitula venæsectionis vicariæ assuetis non negligendæ: Fonticuli etiam tam præservationis quam pravorum humorum depletionis causâ hic commendandi.

LIII. Ad Pharmaceuticum denique accedimus, varijs Therapie instrumentis instruatum quorum nonnulla pro usu nostro inde depromemus. Præmissa igitur ubi opus, venæsectione, adhibeantur scorbuticis humoribus præparatio & evacuatio.


LIV. Præparatio perfici potest medicamentis, quæ quod inest humori scorbutico salsum, atque melancholicum & terreum collipient, attenuent, abstergent, atque hoc modo viscerum obstrunctiones solvere valeant, ut quod crassum est in humoribus per alvum: quod tenuius & serosius per urinæ vias educiqueat. Talia sunt è simplicibus herbæ: agrimonæ, chamædrys, chamæpitys, cuscuta, absinthium, lupulus, fumaria, origanum, &c. Radices quinque apertientes, helenij, cichorij, polypodij, gentianæ squillæ. Semina crucæ, cumini, genistaræ, cortices fraxini, tamam-

tamarisci, capparum. Flores genistæ, sambuci, hyperici. Ex compositis tartarus vitriolatus, Pulvis cacheeticus Quercet. syrup. scelotyrbiticus Foresti. A quæ antiscorbuticæ usuales, & medicamenta è chalybe parata.

L V. Hic tamen probe notandum præcedentibus semper addenda esse ea, quæ sale volatili acri cum amaritudine quadam coniuncto abundant monente Sennerto. Talia enim peculiariter scorbuto adversari docuit experientia, uti sunt cochlearia, reliquis scorbuto medentibus palmam præripiens, cui proximas vires obtinet nasturtium, radix raphani agrestis, becabunga, sinapi, sedum minus, fructus chamæmori cui nonnulli maximas in scorbuto curando ascribunt vires, quorum vis in recentibus & succis expressis major est, quam in decoctis, cum sal ille volatilis harum herbarum, qui in curando scorbuto primas obtinet, cœctione evanescat.

L VI. Evacuatio tandem purgantibus diureticis & sudoriferis expedienda. Purgantia hic leniora sint, & materia scorbutica per vices &  $\kappa\alpha\lambda$   $\delta\hat{\alpha}\nu\epsilon\gamma\alpha\mu$  potius quam simul educenda. Ejus enim indolis est hic morbus ut fortiora purgantia non ferat. Diuretica quæ materiam scorbuticam ad vias urinarias expellunt, non in casum exhiberi possunt, qualia sunt sal, carduibened. absinthij, genistæ, juniperi, spir. sal. decoct. ligni sassafras & similia. Suus etiam locus hic concedendus sudoriferis, quæ saltum succum ex cutis porratis eliminare valent, qualia sunt salia plantarum, quæ alias scorbuto medentur, ut & alia diaphoretica specifica hodiè satis nota.

F I N I S.




01 A 6559



56.

VS 17



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



Farbkarte #13

D. O. M. A.  
DISPVVTATIO MEDICA

DE

# SCORBUTO,

QVAM

CONSENSV AMPLISSIMAE FACVL-  
TATIS MEDICAE

PRAESIDE

Viro Clarissimo, Excellentissimo atque  
Experientissimo

DN. HERMANNO CONRINGIO

Philosoph. ac Med. Doctore, hujusque in inclita  
Iulia Professore Publ. celeberrimo, & p. t. Faculta-  
tis Med. Decano spectatissimo, Domino Preceptorre  
ac Promotore suo etatèm honorando

PRO SYMMIS IN ARTE MEDICA HONORIBVS  
AC PRIVILEGIIS DOCTORIBVS

imperrandis

Publico examini subjicit

LEONHARDVS Krüger LUNEBURGENSIS  
Medicinae in Patria Practicus.

Ad d. 10. Novembr. 1638.

• 6 (0) 90

HELMESTADI,

Typis HENNINGI MÜLLERI, Acad. Typ.

C 13 19 C LXXI.

